



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt IX. Adrianus VI. moritur, eique sufficitur Clemens VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

1523.

vt Pontificem de re tota edoceret, simulque precaretur, ne aduersis narrationibus aures porrigeret. Haec literae palam faciunt, ad eas usque tempora Saxonem abstinuisse a publica Lutherana heretis professione, cum adhuc varia contumacia sua tegumenta conquerret. Solent quippe magna mutationes ita in animis ut in corporibus paulatim crescere, ac demum ipsa impietas longe prius corde quam vultu potiri.

C A P V T I X.

Adrianus VI. moritur, eiisque sufficitur Clemens VII.

* Non 13.
ut narrat
Suaus.

MAture admodum Adrianus decepit, nimirum * 24. Septembris, vix anno peracto postquam Romae fedit. Fuit sane optimus Sacerdos; sed Pontifex reuerata mediocris: apud populum vero, res ex euentu metientem, infra mediocrem, ob temporum iniquitatem: a Vaticanis Senatoribus supra meritum aequiter estimatus, cum euexerunt ad Solum; ac supra noxiam Aulam inuisus, cum in eo regnauit; ac supra verum incusatus, cum inde moriens descendit. Parsimonia ad Reipublicam commodum adhibita infamiam illi peperit, tamquam aurum aurare cumulantur: sed ab ea infamia eundem liberavit in eius obitu ipsa quæstorum manus, quæ ne tria quidem scutorum millia ex ipsius arca numeravit.

Vide Io-
nianum & Co-
mota illius
electionis.

* Literæ A-
driani VI.
ad Archep.
Colentinum
15. Maij
1522. inter
Barberino-
rum Com-
mentarios.

Adriani regimen viam stravit Iulio Mediceo ad Principatum obtinendum. Etenim, vt post mortem Leonis obstaculo illi erat inuidia recentis potentiae, & presumpta nimis opinio eum in sensu successoris iturum, qui eiusdem consilio ductus credebatur, ita nunc inuidia in commiserationem migrauerat; & ipsa præfigatio Pontificatus futuri consimilis illi quem eius Patruelis geserat, adeo ipse non oberat, ut etiam suffragaretur. Quod id percipiatur, sene oportet, fuisse initio datam operam, ut apud absentem Pontificem in suspicionem traheretur memoratus Iulius, * tamquam ad Gallicum partes conuersus. Postea Romanam ingressus Adrianus, noctu que minus quam nihil, hoc est, obseratum simul ærarium, & ær vacuum, faciles aures præbuit suspicionibus a Soderino Cardinali Mediceorum inimico blandè iniectis; nempe a Iulio denuntiatis ad se fuisse thesauros Leonis tempore expensos. Hinc Iulius Florentiam se receperat Pontifici minime gratiosus: sed amissit illi fortuna. Interceptæ siquidem sunt Soderini literæ, adulterinis illæ quidem, sed facilis interpretationis notis exaratae, qui-



bus cum Gallorum Rege, de rebus Cæsari ac Pontifici haud parum officientibus agebat. Hæ literæ ad Iulium delatae, & ab eo per Legatum Cæsareum ad Pontificem transmissæ, effecerunt, ut coniecto in carcere in Soderino, ac tamquam deceptore deprehenso, male dicis eius relationibus fidem abrogari. Quamobrem retinocatus Medicus Cardinalis, extincta iam inuidia, auctaque ex iniusto regimine hominis existimatione, per summa populi studia fuit exceptus, obuiam illi procedentibus Vrbini Duce, aliisque primoribus, quamquam male habitis a Leone. Cum autem subditorum sit, futurum regimem exoptare praesenti contrarium, quod existiment, maius malum id quo experintur, quam quod vel experti sunt, vel experiri possunt, omnium vota adspirabant ad Leonis humanitatem, splendorem, pietatem atque clementiam: præter quas dotes eos alluciebat in Iulio maior consiliorum grauitas, & minor erga genium indulgentia. Viridis etas, qua illi offecerat Comitis antecedentibus, nunc eidem fauebat apud Senatores, iam expertos damna & incommoda tam breuis Pontificatus.

3 Quod si verum est, quod in quibusdam monumentis manuscriptis reperio de illis euentis, nihil adeò ad illum extollendum valuit, quam adhibita semel ab eo moderatio, sibi, ne ascenderet, temperandi. Res ita se habuit. Pompeius Columna, inter Purpuratos Iulij æmulos antesignanus, nequuerat impetrare à senioribus, ferè cunctis Gallicarum partium, vti Iacobatum promouerent, causantibus eum esse Cæsaris studiosum. Quà re indignatus exclamauit: *Ergo partium ductor, non Christi Vicarius creandus est?* Mox Iulium nactus petierit, vt aliquem ex iuuenibus suarum partium proponeret. Statim ille duos vel tres proposuit, nullà sui habitâ mentione. Tum Columna, *Cur;* inquit, *temetipsum prateris?* Cui alter respondit, Nolle se pluribus inuitis suam rem promouere. Quà Iulij moderatione adeò captus est Pompeij animus, vt confitimus quantum satis esset suffragiorum, ad eius electionem conuenterit. Sic interdum vsiuuenit, facilius obtineri dignitatem, dum eam per quietem expectamus, quam dum per curriculum persequimur. Is verò, quod præferret clementiam quà cum suis æmulis erat usurus, Clementis VII. nomen accepit.